BULLA
GREGORII PP. XVI.

DE TRANSLATIONE ECCLESIÆ CATHEDRALIS

EX VETERI

IN NOVAM CASERTAM.



CASERTÆ

EX TYPOGRAPHIA GALATOLA ET ORPHANI

MDCCCXLII.

GREGORIUS PP. XVI.

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Inter Apostolicæ, qua tenemur sollicitudinis munia illud quoque recensetur, ut eam Animarum Pastoribus Sedem præfiniamus, quæ concreditis suæ fidei gregibus utilius faciliusque moderandis præ cæteris Diœcesium Locis opportunior videatur. Nos igitur, qui ab ipsis Supremi Episcopatus primordiis nulli curarum, ac laborum generi parcendum duximus, quo tutior Christifidelibus salutis via muniretur., Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes non tantum impense curavimus ut in novarum Diœcesium

*

erectione is locus in Sedem Episcopalem destinaretur, unde memoratos fructus hauriri uberius possent, verum etiam immutatis temporum, rerumque circumstantiis interdum decrevimus, ut in Ecclesiis jam erectis eadem Episcopalis Sedes in aptiorem locum trasferaturn. Iam vero Venerabilis frater Dominicus Narni Mancinelli hodiernus Ecclesiæ Casertanæ Episcopus supplicationem a Decessoribus suis non semel in antecessum humillime exhibitam pro impetranda translatione Sedis Episcopalis a veteri ad Novam Casertam eo instantius, ac fidentius Nobis instauravit, quo graviores causas idipsum exquirere judicaret, scilicet post eversionem Galatiæ quamplures ex iis, qui eamdem incoluerant, ut Saracænorum furorem, atque immanitatem devitarent, sese cum proprio Episcopo cum in Montem confugerunt, ubi Casertam *a Casa irta* nuncupatam construxere; quo factum est, ut per illud tempus ea Civitas ingenti incolarum numero frequentaretur. Verum pristina tranquillitate restituta, ac melioribus deinde labentibus annis evenit, ut in deteriorem ierit conditionem. Cum enim sita sit in Monte prærupto, aeris insalubritate laboret, nec non aquarum, aliarumque rerum inopia prematur, quas vitæ usus sibi postulat, ditiores Familiæ inde abscesserunt, unde ea Civitas imminui paulatim cœperit, atque incolentium numero ita destitui, ut in præsentiarum ne quingentos quidem continet in-

colas, qui rei agrariæ operam navant. Quamvis autem Cathedralis Ecclesia in honorem Sancti Michaelis Archangeli ibidem erecta reperiatur, Casertanus tamen Antistes jamdiu Sedem sibi quæsivit in Episcopio, cui prope Seminarium posuit, quodque a Caserta Nova cum parum distet, a veteri tamen duobus passuum millibus plane sejungitur. Præterea plerique ejusdem Canonici finitimis in pagis degentes, impetrata propter ejusmodi e suis domibus distantiam iterum iterumque a S. Sede servitii choralis imminutione, vix choralibus diebus eo sese conferunt. Nulli autem vel paucissimi ex tam modico, agrestique populo esse solent ii, qui ecclesiasticis functionibus intersint; quamobrem divini cultus splendor, atque animarum salus non parum inde detrimenti patiantur. Iam vero Caserta Nova adeo commodiorem, ac salubriorem locum in Campaniæ planitie obtinet, ut ibi Siciliarum Reges præter alia monumenta, magnum Palatium sibi ædificari curaverint. Ea Civitas frequentiori Populo exaucta, ac divitibus pollens familiis fuit etiam regio decreto conclamata Princeps Provinciæ Campaniæ, cujus propterea inibi extat Præfectura una cum primariis publicæ rei auctoritatibus, et militibus: floret quidem sociali splendore, et incremento opportunarum rerum commercio utitur, fruiturque, ac præter advenas illuc confluentes tredecim incolarum millia suo gremio complectitur. Verum id perincommodum, e-

hujusmodi Civitate minus dignum videtur, quod unica in ea habeatur Paræcia, quæ tantæ Civium frequentiæ haudquaquam respondet, ac tam modico utatur Presbyterorum numero, ut Sacramentorum, administratio divinarumque rerum cultus expleri satis nequeat, licet Coenobitarum domus, quibus a SS. Redemptore prænomen est, inibi instituta reperiatur. Illi enim evangelicis missionibus huc illuc peragendis potissimum addicti sunt. Ut vero Ecclesiastiaca quoque res ad incrementum promoveretur, Casertani Antistites maximo studio elaborarunt, ut amplior Ecclesia ædificaretur. Anno denique millesimo octingentesimo trigesimo secundo Carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Primo Serenissimo utriusque Siciliæ Rege suis etiam sumptibus opitulante magnificum, et decorum *templum* eo potissimum consilio extructum, consecratumque fuit, ut ubi Episcopalem Sedem a veteri ad novam Casertam transferri contingeret, illud quidem Cathedralis *titulo augeretur.* Omnibus itaque perpensis, riteque exploratis, votis quoque pientissimis nedum Episcopi Casertani, sed Carissimi etiam in Christo filii Nostri Ferdinandi Secundi utriusque Siciliæ Regis obsecundantes titulum Sedis Episcopalis, et Cathedralitatem Ecclesiæ existentis in Caserta veteri sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli perpetuo supprimimus, extinguimus, et annullamus, eamdemque Sancti Michaelis Archangeli Ecclesiam (Parochialem

tamen ut antea cum suis juribus, et oneribus extituram) ad statum simplicis Parochialis Ecclesiæ reducimus, ejusque Capitulum in novam Cathedralem Ecclesiam infra erigendam Apostolica auctoritate transferimus. Eumdem Episcopum Casertanum omnino absolvimus, atque liberamus ab memoratæ Ecclesiæ manutentione, ad eam Casertæ novæ municipium perpetuo obligamus, quandoquidem istud onus ære publico substinendum se omnino suscepturum rite spoponderit. Ut vero in posterum consultum sit non minus ipsius Ecclesiæ incolumitati, quam decenti externi cultus nitori, eam concredimus ordini Religioso Patrum Alcantarinorum in Caserta veteri degentium, eidemque ordini committimus earum Animarum curam per alterum ex iis Religiosis exercendam, pro ipsius autem Parocho assignatam volumus *congruam oblatam*, et constitutam in Ducatis Centum Viginti ex ærario Municipii Casertæ Novæ quotannis persolvendam. Istiusmodi confecta Sedis Episcopalis, et Cathedralitatis Casertanæ suppressione, et extinctione, Novam Casertam superius memoratam erigimus, atque constituimus in Civitatem Episcopalem cum Curia, et Cancellaria Ecclesiastica omnibus, et singulis fruituram honoribus, juribus, privilegiis, ac prærogativis, quibus alteræ Civitates Episcopali Sede decoratæ in utriusque Siciliae Regno, earumque incolæ, et cives utuntur, ac potiuntur. Templum autem, quod in Caserta No-

va sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli dicatum est, perpetuo erigimus, atque constituimus in Novam Cathedralem Casertanam suo sub titulo Sancti Michaelis Archangeli nuncupandam, et Parochialem insimul extituram inibi praeterea erigimus, et constituimus Sedem, Cathedram, et Dignitatem Episcopalem pro uno Antistite, qui Casertanus nuncupatur, ac praesit Ecclesiae, Civitati, ac Dioecesi Casertanae, Clero, et Populo, itemque omnia, et singula jura, officia, et munia Episcopalia habeat, atque exerceat. Capitulo insuper infra designando, Arca, Sigillo, Mensa Episcopali, iisque omnibus Cathedralibus, et Pontificalibus juribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, jurisdictionibus, ac praerogativis eumdem Casertanum Episcopum frui volumus, quibus coeterae Cathedrales Ecclesiae in utriusque Siciliae Regno existentes, earumque Praesules fruuntur. Ut Cathedrali Ecclesiae sic erectae propria tribuatur Dioecesis, ipsam Civitatem Casertae Novae, et cetera loca, quae territorium, ac Dioecesim Casertanam hactenus constituerunt, inibique consistentes, et consistentia Ecclesias, Monasteria, nec non cuncta quaecumque sint saecularia et quorumvis ordinum regularia Beneficia, utriusque sexus personas, et incolas tam laicos, quam clericos cujuscumque gradus, et ordinis non tamen exemptos Episcopi Casertani pro tempore existentis jurisdictioni, regimini, et superioritati perpe-

tuo pariter subjicimus, eique pro suis Civitate, territorio, Dioecesi, Clero, et populo simili modo assignamus, et attribuimus. Quo circa necessarias, et opportunas ipsi Episcopo concedimus facultates istam Casertanam Cathedralem Ecclesiam, ejusque Dioecesim regendi, atque gubernandi absque nova Litterarum Apostolicarum expeditione. Ad tuendam porro decenter Casertani pro tempore existentis Episcopi dignitatem, utque Vicario Generali, Curiaeque Episcopali rite consultum sit, ipsam novae mensae Casertanae dotationem ex bonis reditibus, et juribus, quae ad suppressam Casertanam Sedem spectabant, attribuimus, et adjudicamus. Episcopium extans prope Casertam novam, quo antea usus est, et utitur Casertanus Antistes asservari, et assignari mandamus pro habitatione Episcopi Novae Ecclesiae Casertanae; cumemque Casertanum pro tempore Antistitem ad Cathedralis Ecclaesiae S. Michaelis Archangeli ordinariam manutentionem, ad extraordinariam vero in solidum Casertae novae Civitatem teneri praecipimus. In praefata autem Sancti Michaelis Archangeli Cathedrali Ecclesia proprium Capitulum erigimus, atque instituimus ex iisdem profecto Dignitariis, Canonicalibus, ac Beneficiariis Praebendis, et de iisdem personis, quin hac de causa indigeant Litterarum Apostolicarum expeditione, conflari volumus, quae constituebant Capitulum Casertae veteris, ita ut hoc novae Cathedralis Ecclesiae Capitu-

lum constare debeat quatuor dignitatibus, undeviginti Canonicis, inter quos unus erit theologus, alter Paenitentiarius, quorum Praebendæ ex Apostolicarum constitutionum praescripto in posterum praevio cuncursu conferantur, ac septem conficiatur Beneficiatis, seu Mansionariis, quibus onus incumbat novae Cathedrali Ecclesiae inserviendi. Ex his Vicarius Curatus eligetur, cui animarum cura demandabitur. Eidem Capitulo sic erecto facultatem impertimur reformandi, vel si opportunius videbitur de novo etiam condendi statuta, ordinationes, et decreta Sacris Canonibus, Apostolicis constitutionibus et Concilii Tridentini decretis consentanea, et ab Episcopo Casertano expendenda, atque adprobanda pro eorum, robore, ac pleno effectu, nec non jus gaudendi omnibus, et singulis gratiis, honoribus, et privilegiis, quibus fruebatur Capitulum suppressae Cathedralis Casertanae Ecclesiae, vel fruuntur caetera Ecclesiarum Cathedralium in Siciliarum Regno existentia Capitula, dummodo in usu sint, nec fuerint peculiari indulto, vel titulo oneroso acquisita. In praefata nova Cathedrali erigimus titulum Parochialitatis, proindeque Paraeciam, quae unica usque adhuc extitit in Caserta Nova, circumscribimus, novaeque huic erectae Paraeciae certos fines ab Episcopo Casertano assignari mandamus, prout ei magis in Domino expedire videbitur, ejusque Animarum cura erit exercenda per alterum ex Mansiona-

riis ejusdem Cathedralis, qui nuncupetur Vicarius Curatus, cujus Praebenda perpetuo hujusmodi oneri erit obnoxia. Ex quatuor millium missarum numero, quae ex piis legatis celebrari consueverunt in suppressa Casertae veteris Cathedrali, tria earum millia ex Apostolicae potestatis plenitudine, et derogata, quatenus opus sit, quacumque testamentaria dispositione nihil proinde obfutura, transferri cum iisdem porro indulgentiis, et privilegiis, quibus inibi ea Altaria pollebant, ad Casertae Novae Cathedralem, ut nempe ab ejus pariter Capitulo celebrentur in praefata Cathedrali Casertana praecipimus, et mandamus; ita ut millia tantum ex illis eidem Ecclesiae Casertae Veteris, servatis omnino pristinis indulgentiis, et gratiis, privilegiis celebrandae supersint. Volumus autem, ut Novae Casertae pro tempore Episcopus quotannis teneatur ex condicto in Ducatos Centum erogandos ad subsidium pauperum in Caserta veteri degentium. Seminarium superius memoratum, quod extat prope Episcopium, et Novae Casertae proximum servari, alterum vero extans in veteri Caserta supprimi mandamus, ita tamen, ut ejus aedes destinentur in aliquem pium usum, quem Casertanus Episcopus meliorem censuerit, et ejusdem reditus, et Alumnos modo ibi degentes protinus transferri ad praedictum Seminarium Dioecesanum, quod aptius habetur, volumus, atque mandamus. Capitulum autem Novae

Cathedralis Casertanae tertia quaque feria mensis Aprilis composito ordine, ritu, abituque Chorali proximum quotannis adire Ecclesiam ruralem, — Sala — in honorem et memoriam Sancti Vitaliani, qui persecutionem declinans ibi defessus constitisse fertur, atque etiam semel in anno ejusdem Sancti Eremum visitare teneatur, quod antea praestare debebat tertia quaque feria mensis Aprilis; injuncto praeterea onere, ut quotannis cum Episcopo ab eodem suo Capitulo obedientiam tunc accepturo, conveniat in suppressam Casertae Veteris Cathedralem non modo ut divinas, in Choro laudes singulas, scilicet horas canonicas solemniter persolvat, verum etiam Pontificalibus ibidem celebrandis intersit. Quod vero spectat ad fructus NovaeEcclesiae Cathedralis Casertanae, eos juxta reditus suppressae Ecclesiae Casertae veteris eidem, ut supra, attributos de more taxari ad florenos biscentum, et quadraginta sex cum dimidio auri de Camera, et ejusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae, et Sacri Collegii describi volumus, atque jubemus. Memoratam insuper Ecclesiam Casertanam Sancti Michaelis Archangeli ad Cathedralis honorem evectam Metropolitico juri Archiepiscopi Capuani subjicimus, iisque omnibus frui facultatibus, exemptionibus, praerogativis, et juribus, quae ad caeteros suffraganeos Capuani Archiepiscopi pertinere dignoscuntur, praecipimus, et injungimus. Ad hoc itaque ut omnia, et

singula, ut supra a nobis disposita, rite ad suum perducantur .effectum venerabili fratri Camillo de Petro Archiepiscopo Beritensi, et apud Carissimum in Christo filium Nostrum utriusque Siciliae Regem Nuncio Apostolico, quem praesentium litterarum deputamus exequutorem, necessarias, et opportunas tribuimus facultates, ut per se, sive per aliam personam in Ecclesiastica dignitate constitutam ab ipso specialiter subdelegandam ea omnia facere, statuere, ac decernere, et super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet forsan oritura cognoscere, ac etiam ,definitive pronunciare libere, et licite possit, et valeat. Volumus autem, ut Actorum omnium, et singulorum exemplar, quod in praefatarum Litterarum Apostolicarum executione etc: de more transmittendum in tabulario Congregationis Concistorialis diligenter asservetur. Praesentes autem Litteras, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod qnilibet interesse habentes, vel non fuerint auditi, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse; sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari debere , et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decer-

nimus incontrarium facientibus, licet speciali, expressa, et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, translationis, erectionis, constitutionis, assignationis, deputationis, mandati, decreti derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Panli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo quadragesimo primo Idibus Iulii Pontificatus Nostri Anno undecimo.

Adest Regium exequatur

Michele Frenna.